



PRÆFATIO.

PRodit ante viginti, & quod excedit, annos *Plutarchus de Puer. Educat.* cum *tribus Orationibus Isocratis, & Pythagoræ ac Phocylidæ Carminibus*, operâ & studio Joh. Gerlachi VVilhelmi, Rectoris Gymn. Heid. qui libell^o, ob adjectam versionem latinam, commodam per Capita & Theses distinctionem, subjectas phrasas & sententias, non sine insigni fructu à quamplurimis Gymnasiis receptus & huc usque adhibitus est, unde & brevi tempore exemplaria distracta sunt, quorum copia ab aliquot annis desiderata fuit, cui Scholarum desiderio & commodo ut consuleret præstantissimus Vir Dn. Joh. Melch. Bencardus Bibliopola Mæno-Francof. celeberrimus, novam prædicti libelli editionem meditatus est, qui ut purior nitidiorq; prodiret, VVilhelmianum codicem sub limam mihi revocandum commisit, in cujus non tantum versione vocibus ambiguis, aut rem minus aptè exprimentib⁹, expunctis commodiores substitui, sed σφάλματα quoq; typographica & infinita menda, quæ ob absentiam autoris in VVilhelmianum codicem irrepsent, magno studio abstuli, quod nostræ cum priori editione collatio manifestissimè docebit; Adjeci præterea *Epistolam Isocratis ad Philippum Maced. Regem*, *duas Lysie Orationes*, & *Luciani Dialogum festivissimum, qui Timon* inscribitur, quiq; usum & abusum divitiarum exponit, ut Juvenes nostri, qui ad Lectiones Publicas admittuntur, altiora, quibus se exercere possint, habeant.

Non eget libellus hic proluxa nostra commendatione, purissimus Isocratis stylus, cum floribus Atticis, & suavitate inimitabili, (quæ Curtii suavitati non absimilis) junctus, se ipsum abundè commendat, cujus utilissima monita & sententiæ in plerisq; Salomonis Paulique Apo-
stoli